





w. 1649, 13  
THEOREMATA MEDICA  
<sup>Quæ</sup>  
DEI GRATIA FAVENTE  
AUTORITATE GRATIOSI  
MEDICORUM ORDINIS  
IN ILLUSTRI UNIVERSIT  
TATE JENENSI

PUBLICÆ DISPUTATIONI PROPO  
NUNTUR.

PRÆSIDE  
JOANNE VOLCKIO  
GOTHANO PHILOS. MEDIC. D.

RESPONDENTE  
M. CASPARO POSNERO  
GERANO.

HORIS LOCOQ; CONSPETIS.

XXVI. SEPTEMBRIS.

ANNO CHRISTI C<sup>I</sup>O I<sup>C</sup>O IL:



J E N A

Excudebat CHRISTIANUS LAURENTIUS  
Kempff/

THEORIE ETATICA MEDICA  
DE GRATIA GRATIENS  
AUTONATE GRATIOSI  
MEDICUM ORDINIS  
IN HERCULANEI UNIVERSITATIS  
TATIANENSI  
TAMEN DEDICATISSIMA LECTIO  
INSTITUTA  
JOANNI VOLCKO  
JOANNO HOMOC MEDICO  
M. CASTALIO TOSNERO  
GELANO  
HANS DEEGE GARNETTE  
XXVII SEPTEMBER  
ANNO CHRISTI MDCCCLX  
PRAEFATIS  
CHRISTIANUS PALLERIUS  
SCHWABE



## ΘΕΟΣ! ΘΕΟΣ!

### THEOREMA. I.

**M**EDICINA, Gratisum DEI donum, in dividuis generis humani ex labore peccati labili bus & quotidie ad interitum ob connatam pravitatem, spontaneam lasciviam & ignorantiam affectatam approximantibus, data est, ne decrescant citius, & aberrent longius metu, ob quam a sapientissimo Creatore in hoc universi Theatrum introducta sunt.

THEOR. II. Hæc cum primordiis hujus mundi cœpit: Et cum nondum in tantum nequitia surrexerat nec tam latè se sparserat, poterant vitiis simplicibus obstatre remedia simplicia, quæ quivis observabat, & ratione servabant edociti. Sic Assyrii ægrotos in vias ponebant & lege cavebant, ut singulorum morborum medelas propalarent. Greci eas in æde Aesculapii & Apollinis & morborum sacris locis sacras faciebant, ut publicè innoscerent. Nunc ab aureo seculo ad ferreum, & in hoc, ubi tam nullo ægrotamus genere quam vivimus, necesse est operosiora esse munimenta, quanto valentiora sunt, quibus petimur. Necessestis igitur terfa coegerit ingenia, ut omni seculo cogitando & operando armare se cœperint multis generibus multis rationibus & observationibus adversus non singulares, sed inexplicabiles, diversos, multiformes morbos, & scepè, DEI auxilio, tanquam novi sisyphi robustis vinculis mortem ligayerunt, donec Mars mortem liberavit.

THEOR. III. Hoc vero dolemus meritò cum Magnifico Anglo Verulamio, quod, si quis in omnem illam librorum varietatem, quam inter scientias & artes & nostra Medicina exultat, diligenter introspiciat: ubique inveniet ejusdem rei repetitiones infinitas, tractandi modis diversas, inventione præoccupatas; ut omnia primò intuitu numerosa, factò examine pauca reperiantur, si mittamus sine re tumida, Philologa & critica puerilia; ut

A 2 ita

Ita Medicina magis fuerit ostentata quam elaborata: etiam magis elaborata quam amplificata, cum labores in eam insunt potius in circulo quam in progressu se exercuerint, plura à scriptoribus iterata, addita pauca. Superiori seculō proximō & hoc nostrō nonnulli quædam nova adducere conati sunt, & licet *Pancelsus* cum suis allēclis chimicis superbè primatum affectaverit, non tamen planè absurdus autor fuit alii considerationum liberiorum; ne alia dicamus Germaniæ, Angliæ, Italiaæ, Galliæ, Hispaniæ, Belgij, vel etiam orientis plagæ lumina, *Fuchsius*, *Fernelius*, *Jonbertus*, *Rorarius*, *Bacchanellus*, *Arniseus*, *Scherbius*, *Hoffmannus*, *Altorfinus* P. noster civis, *Sennertus*, *Fabritius* & ille *Hildanus*, *Riolanus*, *Spigelius*, *Fludd*, *Afilius*, *Harvejus*, *Sanctorius*, *Jasolinus*, illustres & nobiles *Verulanius*, *Cartesius*, *Parisanus*, *Primorofius*, *Weslingus* M. A. *Severinus*, *Zaccutus*, *Lusitanus*, *Conringius*, *Billichius*, *Waleus*, *Helmont*, *Hogeland*, *Gardinius*, *Plempius*, & multi celeberrimi alii tentarunt idem, putantes, & sibi philosophari licere, quod veteribus, [ à quibus, Græcis potissimum, hausimus sapientiam, quæ pueritia scientiæ videtur, ad garriendum prompta, generandum invalida & immatura] generosique animi tum demum esse secundum Pythagoram, *Alcibiades*, *Caecilius*, hoc est, insistere majorum vestigiis, si recte illi præcesserint, ut *Seneca* restringit, honestaque sine causâ ab illis non deviare. Ne tamen quenquam Novitas offendatur: [temerariam credulitatem & temerarium innovandi studium, abhorremus.] Naturæ enim fundus nunquam exhaustetur, & involuta veritas in alto latet, *Senecæ* calculo; nec de malignitate Naturæ conqueri possumus, quia nullius rei difficultis inventio est, nisi cujus hic unus inventæ fructus est, invenisse; nec patitur hinc veritas detrimentum, quia veritatis una vis & una facies est. Et si Theologis laudi vertitur, virtutis novis medelas querere novas: JCtis variantibus circumstantiis novas Leges ponere; quidnî Medicis, Philosophis: cum macro- & micro-cosmus immensâ sapientiâ Creatoris referta sint, quam curiosis Naturæ indagatoribus semper licet & licebit scrutari sine satietate, quod præ aliis Facultatibus Medica & Philosophica prærogativa habet. Ædificium quoque hujus universi structurâ suâ intellectui huma-

humans contemplanti instar labyrinthi est; ubi tot ambigua  
viarum, tam fallaces rerum & signorum similitudines, tam obli-  
quæ & implexæ Naturarum spiræ & nodi undique quoque se ostendunt; iter autem sub incerto sensus lumine, interdum affulgen-  
te, interdum se condente per experientia & rerum particulari-  
um sylvas perpetuo faciendum est. Qui itaque ducum hujus itineris & hominum talium facinora rodunt egregia, & igneis istis  
ingeniis cœlum potentibus invidit felicitatem, sciant no-  
biscum illud: Veritas & Ars non habet osorem nisi ignorantem  
& malevolum. Gratia interea Veteribus [qui certe in iis, quæ in  
ingenio & meditatione abstracta posita sunt mirabiles se viros  
præstiterunt] non sine encomio perpetuo habenda, quod suis se-  
mitis iter nobis facilius & compendiosius straverint, cum inven-  
tis aliquid addere non tam magnæ molis res sit, & antiquitas se-  
culi sit juventus mundi; modò homines opes & vires suas bene  
nōrint, nec de illis majora quam par est, de his minora crederent  
& à generalibus ad particularium historiam vergerent, autores  
non admirarentur, sed superare studerent, inter empiricam &  
rationalem facultatem (quorum morosa & inauspicata divortia  
& repudia multum turbant) conjugium verum & legitimum in  
perpetuum firmarent, hâc tamen lege eaverent, ne humana apud  
ipos divinis officiant, n'è ex reseratione viarum sensus, ut *Ve-  
rulam.* monet, & accensione majore luminis naturalis aliquid in-  
credulitatis & noctis ergà divina mysteria oboriatur, nec altum  
sapient, nec ultrà sobrium: sed potius ut ab intellectu puro, à  
phantasiis & vanitate repurgato, & divinis oraculis nihilominus  
subditto & prorsus dedito, fidei dentur, quæ fidei sunt, & veritas  
in charitate colatur ad usus vita, ne appetitu potentia & sci-  
tia quâ Angeli & homines lapsi sunt, & heic labantur.

THEOR. IV. Curatè *Seneca*; si omnia fecit, ut sanaret,  
peregit Medicus suas partes; etiam damnato reo oratori constat  
eloquentia officium, si omni arte usus est; laus imperatori et-  
jam victo redditur, si & prudentia & industria & fortitudo mu-  
neribus suis functa est. Quod enim quandoque sanitatem non  
assequatur Medicus, vel imperitiâ ejus est, vel ignorantia; vel  
Naturâ subjecti repugnante: hoc enim præ subjectis reliquarum

artium peculiare habet, quod illa nihil agant<sup>ur</sup>, sed obsequia saltem prætent agenti artifici; hoc verò innatam quandam potentiam obtineat vel cooperandi vel resistendi, unde morborum medicatrix Natura, & minister Naturæ Medicus salutatur. Malè hinc fuggillant non solum imperitum vulgus, sed & ~~δοκιστοφοι~~ quidam inter homines melioris luti Medicinæ certitudinem; Præcepta enim sunt perpetua ex principiis operationis & cognitionis, & defedū artificis sive scientis, non scientiæ, sit, quicquid erratur in Medicinâ, qua cum scientiis quoad subjectum convenit, in Fine autem ad naturam artium accedit. Medici autem, ex perpetuâ observatione sua principia necunt, quotidiè dilucidius explicant meditationibus, & sàpè quidem diverso modo declarant; tandem tamen in eodem principio concurrunt ~~διόψυχοι~~, ut ingenuè & prudenter *Celsus* colligit, Experimenta Medicinæ primò inventa fuisse ac postea homines circa ea philosophatos esse & caussas indagasse & assignasse. Esto verò, quod *Celsus* audacter in procēmio præfatur, vero proprius esse vix ulla perpetua præcepta Medicinalē artem recipere, quō sensu *Plinius* eam vocat *interpolē*, responsū *Plenpii* nobis arridet: sed enim hoc habet commune Medicina nostra sive cum naturali sive cum aliis scientiis, quæ semper multas habent conclusiones probabiles tantum, non certas & evidentes. Dicānme verò? non injuriā quis ambigere possit, num aliqua alicujus rei in nobis vera sit scientia? quid enim quæsō, nos homulli certò scimus, nisi hoc, nihil nos scire, imò né hoc quidem!

THEOR. V. SPAGIRICI cum primicerio, ut videri vult, eorum *Paracelso* [qui omnia è tenebris extrahere ab ignorantia separare, & cum evidentiâ congregare audent] adeò in hæc nostra fundamenta debacchantur, ut hæc planè eliminata sua investita cupiant: scil. è pauculis experimentis ad foculum & fornacem novam philosophiam excuderunt, de quibus, sicut *Cicerio* cum variis de naturâ animæ opiniones recensens tandem in Musi cum incidisset, qui animam Harmoniam statuebat, facetè dixit, hic ab arte suâ non recessit, & prudenter *Aristoteles*, qui respiciunt ad pauca & facile pronunciant, *Verulamius* arguit caussam, quod

quod sibi suis conceptibus propriis placeant, omnes meditato-  
nes deliciis & artibus, quibus cum versatur, insufficientes, suco licet  
admodum fallaci admirabundi homines: Ipsorum novitati,  
quoad licuit, ad multa oculatissimus *Sennertius* reclamavit, &  
confirmavit in suo de consensu aureo tractatu, quæ ignem fe-  
runt: nec non *Billichius* censor eruditissimus in observationibus,  
paradoxis & suo Theſſalo & alibi. Et sane, si ſomnia & nugarum  
pruritus abſint, quoad pharmaca præcipue elegantis Medicis no-  
men hodiè yix sustinere potest, qui Chimia ignarus; poſſumus  
quoque ex hujus latifundio multis principiis lucem afferre, ut  
verè comparari poſſit agricola apud *Æſopum*, qui è vitâ exitu-  
rus dixit filiis, ſe illis viii magnam auri in vineâ, nec ſatis memi-  
niſſe, quo loco defoſſam reliquifeſſe. Qui cum vineam diligenter  
ligonibus ubique invertiſſent, aurum quidem repererunt nul-  
lum, ſed tamen vindemiam uberiorem propter foſſionem circā  
vitium radices. Circā aurum conſciendum haud paucis nobili-  
bus inventis & experimentis tūm ad reſerandā Naturām, tūm  
ad uſus vitæ apprimē idoneis quaſi facem accendit Chimia; quam  
& candidè retuliffe videtur *Verulanius* inter artes iſtas, [quales  
& ipſi ſunt Astrologia, & Magia naturalis, quæ à varietate ſpe-  
culationum ad magnitudinem operum revocat] quæ plus ha-  
bent ex phantasiâ & fide, quaṁ ex ratione & demonstrationibus,  
quarum fines non ſunt ignobiles, ſed viæ atque rationes, quæ du-  
cere putantur ad hos fines tam in Theoriâ illarum artium quaṁ  
in praxi erroris & nugarum plenæ ſunt; neq; adeo tradiſio ipfa-  
rum ut plurimum candida eſt, ſed artificiis, licet non tantis, & la-  
tebris munita. Versio argenti aut argenti vivi aut alicuius alte-  
rius metalli in aurum res creditu dura: attamen longè veriſimi-  
lius eſt, ab homine, qui ponderis, coloris flavi, malleabilis & extenſi-  
bilis, Fixi & volatiliſſ naturas cognitas & perſpectas habuerit, qui-  
que ſimiliter prima mineralium ſemina & menſtrua diligenter  
intropſexerit, poſſe aurum multâ & ſagaci molitione tandem  
producit, quaṁ quod pauca Elixiris grana, vel alterius paucis mo-  
mentis alia metalla in aurum vertere valeant: per activitatem  
eiusdem Elixiris vel alterius, quæ naturam ſcil. perficere & omni  
impedimento liberare poſſit. Similiter ſeneſtutis retardatio aut

gra-

gradus alieujus iuventutis instauratio non facile fidem reperiatur;  
attamen longe verisimilius est, ab homine qui naturam *arefas-  
tionis & spirituum depradationes* bene nōrit, quiue naturam *af-  
fimationis* atque *alimentationis* vel perfectioris vel prayioris per-  
spexerit, naturam etiam spirituum & qs. flammae corporis alias  
ad consumendum appositae alias ad reparandum notārit, posse  
per diætas, balnea, unctiones, medicinas proprias, accommodata  
etiam exercitia & similia vitam prolongari aut vigorem juven-  
tutis aliquā ex parte renovari: quād quod hoc fieri possit per  
guttulas pauculas aut scrupulos alicujus preciosi liquoris, quin-  
tae essentiæ, aut panacea admirabilis.

THEOR. VI. Noviter funus indixit Medicinæ nostræ A-  
cademicæ Chemicus cætera nobilissimus *Joan. Baptista Van Hel-  
mont* in ortu Medicinae & opusculis Medicis inauditis, singularique  
vocatione propheticō more se præmunit; promissa *ναγδογάδη*  
adversus scholas recenset, nec chimicos nec dogmaticos nec  
quosvis hucusque habuisse Adeptum, ita vocat, medendi, præter  
se affirmat. Veterum placita nōbis non sumimus, si sint aliena à  
sancta veritate, quæ multa subscriptiones nudas sine considera-  
tione ultrò largimur, de quo & Verulamius conqueritur in orga-  
no suo, quod immota scientia suis vestigiis adhærent, nec in-  
crementsa digna genere humanō sumant, assertio maneat asser-  
tio & quæstio quæstio, omnisque traditio & successio disciplina-  
rum repræsentet personas Magistri & auditoris, non inventoris  
& ejus, qui aliiquid eximum adjiciat; hominesque deditii jam  
sint & in unius sententiam tanquam pedarii Senatores coeant,  
quod tamen in artibus mechanicis contrarium evenire vide-  
mus, quæ quotidiè crescunt & perficiuntur, licet autoribus suis  
rudes & informes videantur. Ne tamen planè surdi vel muti vi-  
deamur tanquam ovis conspecto lupō, discessiones ejus genera-  
liter in transcurso paucas examinabimus & in apricum pone-  
mus præsuppositis ejus deliris & manifesto falsis non ad regu-  
lam, quam nullam agnoscit, exploratis, sed relictis, ut sunt inter  
alia, diversus de Religione à nobis sensus; dum *Maria D'imagi-  
nem* recenter emersam suæ leprosa filiola suppetias tulisse re-  
fert, singulares *cūrātias* narrat, loca *scriptura* distorquet ad  
peregrini-

peregrinum, absonum, sed sibi commodum sensum, divina fidei  
confundit cum praxi humanâ, ut in scholâ Paracelsi nec non  
apud alios invaluit mos à Rabbini & Cabalistis oriundus, & sic  
Theologian miscet cum Medicinâ. Morbos nonnullos verbis  
curat; Eydemone genio familiariter utitur, arcana sibi reservata  
vult, carceris cum dispendio scrutanda, quia dona DEI sunt; Scho-  
las paganicas omnino detestatur; sepiusculè paracelsizar; præter  
necessitatem evocatores; sæpè quolibet articulo candem can-  
tilenam reiterat; morbum vocat substantiam & Ens, multa sibi  
fumit rejicienda, qua nec nostra sunt, multa sine ratione pro-  
fert, quia ipse dixit; statim quem unus profert, errorem totis  
scholis inscribit, sæpè apertam perspicuitatem occultat, & sic nu-  
ditatem animi, ut olim corporis innocentiae & simplicitatis co-  
mitem; & quæ sunt mille alia. Licet verò principia neganti non  
multū detrahere queamus, vel contrà ipsum disputare nefas sit;  
tentabimus tamē generalia quædam ipsius considerare, an paria  
sint gloriationi, quam ipse de se effert, quod senex cognoverit,  
(statutâ scil. apud DEUM maturitate) Theorematum scholarum per  
ipsum subverti debere, cui fini Deus Paracelsum (cujus dias virtu-  
tes Sennertus annotat) Scientiâ Adepti carentem, Scientiâ verò a-  
nalyticâ corporum ac remediorum fulgore divitem premiserit  
præcursorum, & sic (absit blasphemia!) hucusque à primis tem-  
poribus DEUM invidiæ arguit.

THEOR. VII. Primo intuitu suspectæ ipsi sunt Scholæ, quod ab Ethnicis sua mutuaverint, cum omne donum bonum nedum virtutum, sed & cognitionum descendat à patre lumen, & Dominus creet Medicum, non scholæ; ne alia adduca-  
mus plura chartæ parci. Verum absurdum quivis vider, quod à profanis ad sacra charismata recurrat (utut hoc à se amoliatur)  
habitum infusum, quia extraordinarium modum intellectus  
ponit, sibi persuadeat; Medicum tanquam Sacerdotem placan-  
tem coram DEO velit, ut sanitas restituatur, &c. Et cum ex sa-  
cris nobiscum agere velit, ex his sciat & Ethnicis residuum quid  
mansisse, quod neivai ēvōiā ēpēmā rudera & scintillula-  
imaginis divinæ vocatur; inscribitur veritas opus legis  
scriptum in cordibus Ethnicorum, dicitur alias ratio

recta vel iudicium & dictamen rectæ rationis, quod est a-  
etius intellectus, quō verē res enunciat. *Becano* ratio speculativa  
recta est, quæ est conformis rei, quam enunciat. Ut non videa-  
mus, quomodo *Helmont* hæc tanquam umbratilia & cœca sim-  
pliciter renitiet. Cum verò Medicina nostra conformia rei  
tradat, nec castigetur, nec falsitatis arguitur à Spiritu S. non in-  
de stolida & nugatoria, sed recta est & bona; Omne autem bo-  
num est à DEO infidelibus etiam concessum. Et quid? Si omnia  
Ethnicorum abiscienda essent, magna bona essent nihil & nul-  
lius autoritatis; nec Jethro Sacerdos Midianiticus sofer Moysi,  
excellentissimus Spiritus S. donis & experienciâ prædicto quic-  
quam prævaluerit; prudentiâ administrandi Rempublicam  
Ebraeorum. Moyses ipse eruditus erat in scientiâ Aegyptiorum.  
Daniel Chaldaeorum: Paulus ex Arato, Menandro, Epimenide,  
Platone, Aristotele aurum sapientiae, argentum & mel humanæ  
Eloquentiae in sacrario Domini bculit. Quid Magi orientales?  
Inconvenientes itaque sunt conclusiones, quas infert: A DEO  
omne donum bonum E. non naturali sed peculiari & superna-  
turali modo cum hominibus quibusdam communicatur. De-  
scendit à patre lumen E. peculiariter & supernaturaliter ori-  
undum est. DEUS creavit Medicum, E. ars medendi dicit aliquid  
suprà communem Regulam creatorum, sic, ut ejus adeptio non  
contingat per modum aliarum artium: Siquidem omne bo-  
num, quicquid in mundo est, à patre, nostrum intellectum illu-  
minante est, omnem quoque artificem & intelligentem DEUS  
creavit ad hoc, ipsique indidit desiderium & aptitudinem, nullò  
tamen modo aliquid peculiare, supernaturale vel tale quid in-  
fertur. Concedit autor, naturaliter & per observationes e. g. ju-  
vantis & nocentis acquiri cognitionē aliquam medendi, sed um-  
bratilem & cœcā, quod & ipsi largimur, si à priori eò pervenire ne-  
queamus, quodammodo in quibusdam obscuriores esse Medicinam,  
quod non ipsius, ut sèpè dictum, sed nostra ignorantia cul-  
pâ fit, quæ è tenebris nunquam in hoc seculo Emerget. Tandem  
quid multis? *Helmont* ipse inventis & terminis uititur Ethnicorū,  
motum muscularum ab ipsis mutuatur, arteriarum, venarum &  
cordis usum ab ipsis mendicatus est, & innumerabilia. Minoris

hinc

hinc & nullius momenti est, quod accusat infidos auxiliatores  
neminem à morbo ex scientiâ certâ immunem hactenus fecisse,  
sed quotquot evaserunt, convaluisse solius DEI munificentia  
ac naturæ suæ bonitate; & ipsos incurabilium immensum ca-  
talogum habere, quasi DEUS nec Medicum nec medicinam  
pro his creasset. Proh fidem! quis unquam sine DEI assistentiâ  
& Naturæ quenquam sanitati reddidit? nec ipse quidem Hel-  
mont, ut in Tr. de catarrhis, de morbis tantum hoc intellectum  
velit, quos sponte sua Natura curat. Ex scientiâ autem nostris  
hactenus egisse, loquatur continuata series medicamentorum,  
quorum facultates eadem fuérunt: loquatur similis & eadem  
curatio, qua in morbis individuorum hactenus similibus & iis-  
dem observata est; Omnes autem morbos incurabiles esse,  
hoc impossibile est, nisi demonstretur, arborem vitae in medio  
nostrum adhuc esse, à qua tamen aberrasse & nostrum ipsius  
justa persolvenda & pertinax morbus edocent; quos nos incu-  
rabiles ex principiis pronunciamus, nullus unquam curaverit,  
cum justâ DEI voluntate & naturæ reluctantiâ incurabiles  
sint. Cum dicit: Si morbus à prævaricatione: peccatum autem  
quodlibet remittatur penitus, sperandum quemlibet morbum  
in suâ specie tolli posse, si punitio peccato adæquata in remis-  
sione: nullam consequentiam hic deprehendimus, peccatum  
condonatur E. & mors temporalis, quod nullitatis plenum est.  
Cætera cathedraliter alteri commendamus. Ignorantiam autem  
scholarum quatuor generibus includit, dum ipsis inscitiam in  
morbis cauilarum, modi fiendi, remedii & coaptationis imputat,  
qua jam non attingemus.

THEOR. VIII. Admiratione plenum est, quod tantum  
sibi imaginatoriisque suis revelationibus tribuat *Helmont*, ut  
sibi soli jactet Naturam suas reclusisse opes, cuius tamen omnis  
scientia, si ad aurifabri stateram examineatur, vix quicquam vel  
curantes Medicos vel decumbentes juvat ægros, imò in cuius  
Scriptis omnia ita sunt involuta ambiguitatibus, plena dubiis,  
ut nihil certi præ se ferre videantur. Quantò laudabiores sunt  
Asellii, Harvei, Cartesii, Hogenlandi, & aliorum virorum co-  
natūs, quorum inventa uti *Helmontii* nugis longè utiliora sunt,

ita digniora quoque erunt nostra speculatione. Videamus  
igitur, quomodo illi veterum doctrinam & de partium usu  
& de sanguinis Generatione auctam dederint. Cum cor-  
pus nostrum perpetuo moveatur, motu consumitur, ne au-  
tem prorsus absumatur, provida Natura prospexit, ipsique ap-  
petitum restorationis & vehiculi indidit, quò ea desideret,  
quibus possit conservari. Illius est Fames, quæ est calidi & siccii,  
nimirum cibi desiderium: hujus est sitis, quæ est frigidi & hu-  
midi sive potus appetitus; estque utraque vel animalis, quæ in-  
quibusdam partibus, ut in orificio stomachi, in gutture & glan-  
dulis percipitur tempore famis & sitis: vel naturalis in omni-  
bus partibus, dum harum substantiae resolvuntur, sentiunt va-  
cuum & appetunt restorationem. Fames excitat à liquore  
acido ex liene missò per arteriam in orificio stomachi velli-  
cando membranas hujus & ventriculi, qui ventriculo replete  
à cibo imbibitur, ut ipsum comminuat & terat, quò missò & ab-  
sente invadit membranas loci. Sitis, ut dictum, fit in gutture &  
glandulis, quatenus apperunt fluxile & liquidum tanquam ve-  
hiculum alimenti. Apperitu salvò præter cibum alterandum  
& potum tum dicto cibo diluendo inservientem, tum cibi vices  
supplementum occurrit liquor quidam subtilis & attenuans, saliva  
dictus, quæ mediantibus arteriis & motu linguae adjuvante per-  
palatum & gingivas in os immittitur, cum per regulas circula-  
tionis planum sit, per venas sanguinem à circumferentiâ ad cen-  
trum ferri & contrâ, quicquid distribuendum vel expellendum  
per solas arterias fieri. Hæc sicut jejuna, (priusquam acrimo-  
niam vel actionem suam in convenientem cibi assunti solutio-  
nem attrulerit, ad ejusdem essentiam, quam chylum vocant, ex-  
trahendum) tumores discutit, si sepius illinatur: sic & cibo præ-  
parato, scil. in ore primum inciso, mox dentibus molaribus  
comminuto, linguaque volutato immitsetur ad faciliorem non  
modò deglutionem; verum etiam gustus suavitatem & coctio-  
nem futuram proniorem, quod ex febre convalescentibus pro-  
batur, quibus liquor hic exarescens cibos paulò sicciores & in-  
gratos reddit; & famelici canes, qui devorantes frusta panis  
longiore opus habent tempore ad chylificationem, quam ma-  
stican-

sticantes. Cibus hoc modo præparatus pellitur in ventriculum linguâ, musculis & fibris œsophagi, cui accedit in stomacho liquor alius manifestè acrior mediantibus arteriis ex liene, quo & siccissimus cibus quandoque sine potu digeritur & concoquitur. Hic humor sive spiritus acidus (acutissimi *Carefi* inventum) coctioni ventriculi fermentando inservit, qua sine fermentatione haud facilè perficeretur, quod cibi ponderosi compacti difficulterque fermentabiles & alterabiles, aurum, crudum foliatum, metallica, mineralia & lapidea medicamenta, ut non facile iis aliquis rarefactionis motus imprimi possit, edocent. Ex *Hippocrate de prisc. med.* dura comminui crassa in animalium ventriculis fundi non possunt, nisi prius ab alio incidentur: huic fermento ascribendum videtur, quod in malè valentibus cibus per se salubris in vitiosum sanguinem & nutrimentum vertatur, & contrà, juxta illud: Sanis omnia sana. Fermentum hoc digerit, fermentat, & quantum satis solvit cibum, ejusdemque effluentia extrahendæ instar menstrui magis appropriati est.

THEOR. IX. Hanc ciborum essentiam chylum vocamus, qui constringione ventriculi per pylorum paululum hiantem in duodenum pellitur, primus ingurgitatus primò & sic deinceps, ex duodeno ad reliqua intestina. In duodenum infertur ductus biliarius, qui semper ad intestina potest fel excernere, non ut excrementum ad alvi & urinæ stimulum, sed ad nobiliores usus (de quibus, quicquid hactenus paulò accuratius in hac universitate traditum est, ingeniosis accuratissimi Naturæ rimatoris Nobilis nostri Praeceptoris *Slegeli* meditationibus debemus) à Naturâ generatum, ut quasi condimentū, balsami conditionem gerens, per venas lacteas ad hepar distribuatur, chymoque & sanguini mixtum utrumque à concretione & putredine conservet, quō etiam mediante feces eō citius pellantur. Chylus in intestinis & aliquō modō fovertur, quorum multiplex in plerisque animalibus anfractus & circuitus, ut defluentis materiae quod est nutritivum, dum ubique moram trahit, eō perfectius & plenius in venas lacteas transfumatur; est autem utilis ejus succi plus procul dubio in gracilibus intestinis, & quidem imprimis in jejunio. Ex his singulis trahitur in pancreas & Hepar hujus calore, & ex-

B 3 pelli-

pellitur, dum se costringunt intestina, quem motum peristalticum vocant. Per pancreas dum labitur chylus, nonnihil defecatur & incrementa per ductum *Virfungi* 1642 Patavii demonstratum deponit, unde *Plempius* papcreatis emissarium salutat, quod natura se faburrâ commodè per hunc exoneret. Pulsio hæc & træctio fit per peculiares vias, venas lacteas scilicet, quas *Anatomico Ticinensi Caspero Asellio* ab anno 1622. debemus acceptas, quæ ita chylum ex intestinis advehunt, ut nihil patientur retrocedere, pluribus valvulis prædictæ, inserunturque in omnia intestina, ne duodenò quidem excepto, copiosiores tamen ad gracilia feruntur, ad jejunum copiosissimæ. Ex lacteis expressus chylus partim versus venæ portæ (in cuius truncum desinunt venæ lacteæ contrâ *Aselli*um, ut apparet ex ligatô truncò) & cavæ ramulos progreditur, & sanguini miscetur ex arteriis per venas mesenterii, ex liene & stomacho per vas breve & reliquas venas in venam portæ prodeunti, & ramo arteriæ Cœliaca dextro, sese partim in Epar, partim venam portæ in Epate inferente, propulsò; partim transit in Epatis parenchyma, in quō calefit, non perficitur ob parvam moram, incrassatur sive compactior fit, cum Epar, pars compactissima, tentet sibi similem reddere, & ruborem contrahit à spiritu acido in liene elaborato provenientem. Ex Epate aliquo modo sanguis per oscula extrema venæ cavæ in eam pergit, jam verò cum impetum pulsus quodammodo pérdiserit, Natura vim constringendi venæ cayæ dedit per fibras carnosas, quâ sese constringit, & sanguinem ad cor pellit, quod ex vivorum anatomia animadvertere licet in hac venâ.

THEOR. X. Ex venâ cayâ dextram cordis auriculam & ventriculum dextrum ingreditur, & sic officinam suam superiorem Cor ibidemque mediante quadam fermentationis ac rarefactionis actione & motu in formam sanguinis sive sanguinem redigitur: cum enim cor calidius (qui tamen calor non est ut manum feriat, sed dulcis) spirituque efficacius sit, & succus in eo longiorem, quam in Epate trahat moram, facile persuademur ibi majorem mutationem ipsamque perfectionem accipere. Ex ventriculo repleto dextro ob vellicationem cor sese constringit, & sanguinem per venam arteriosam in pulmones pellit per

per anastomosin ad sui refrigerium & condensationem, hinc in sinistram cordis auriculam, ab hac ad ventriculum sinistrum movetur, ex aortâ per truncum ascendentem & descendente per totam corporis oeconomiam. De sanguinis via à dextro per septum transversum cordis à Follo 1639. Venetiis demonstrata an detur? non sumus solliciti, cum nondum sciamus cui bono? & licet deprehenderimus in aliquibus animalibus, in cordis tamen fabricâ non raro ludit Natura, & in bovini cordis septo intermedio supernâ parte secundum cordis longitudinem aliquando simum inveniri ad sinistrum ventriculum circa mucronem patulum, quô Aristot. deceptum videri 3. Part. animal. 4. annotat. Batavorum Natura Consultus *Waleus* ad Thom. Bartholinum. In utrōque receptaculo cordis ex sanguine calefacto fermentato & dissoluto ad motus & sensus efficiendos aptus fit spiritus, levavi aliquâ alteratione prægressâ. Ex his perspicimus motum sanguinis, quem ex Angliâ invulgavit *Gulielmus Harveus Medicus Regius & Prof. Londinenensis*, quem circulationem vocat, quamque colunt hodiè multi doctiores *Waleus, Corringius & alii*, ejusque usum maximum ponunt esse, multorum affectuum natum, caussas & medendi rationem sapienter haec tenus experientia potius, quam ratione suffultam intimius perspicere: Præterea hinc melius humorum naturam & eorum defluxum cognoscere, unde innumeri morbi: exactius intelligere, quomodo bonus malusve sanguis generetur; quas partes remedium pertranseat, antequam ad affectum perveniat: felicius scrutari pulsuum doctrinam, V. S. febrium, inflammationum, obstructionum generationem & curam. Sic autem ferè se habet: Primum se constringit cordis auricula, & in illâ constrictione sanguinem contentum in ventriculum cordis pellit: quo repleto cor dilatatur, hoc contrahit ventriculos & pulsum facit, quô pulsu congettum in se sanguinem protrudit in arterias ex sinistro ventriculo, ex dextrâ in pulmones per venam arteriosam, undè continuo in ventriculum sinistrum rapitur, & ab hoc propellitur in aortam, atque deinceps in totum corpus per arterias. Sanguis sic in habitatum corporis impulsus, qui non ad aliquid officium servatur, transit ab arteriis in venas rursum, remeatque in venam cavam, & ab

& ab hâc in dextram cordis auriculam, deinde in dextrum ventriculum : & ita porrò eundem circulum agit, quem antè, idque continuo, cuius demonstrationes alias alibi videbimus.

THEOR. XI. Dum autem sanguinis pars subtilior, per Truncum aortæ ascendenter partibus cor munitientibus quoque prospicit, & per mammarias venas lac generandum mammis curat, dum in glandulas incidit, atque a facultate γαλακτοποιησῆ coagulante & incrassante ad candorem deducitur, & sic sanguis in mammis in Lac, Chyli quasi speciem, reducitur, non autem tanquam chyli portio sanguini inhærens ab eodem separatur, vel per insensiles vias ex chyli officina adducitur; indicium hujus est, quod omni alimento jam diu in perfectum vel completum sanguinem mutato, tempore famis nihilominus in mammis, sed minori quantitate, generetur. Pars magis subtilis sanguinis per carotides interiores in caput ascendit, fumique vel roris instar iteratis cordis & sanguinis actionibus & ebullitionibus per cerebrum dispergitur in subtilissimos & quasi incorporeos spiritus omnibus nervis, per fibrillas horum elaboratos, communicandos, totique corpori sensum, motum animique affectus impressiros, mutuâ etiam dicti cerebri & sanguinis fumosi ac quasi aerei actione convertitur: portio quedam sanguinis subtilior, minus tamen subtilis, & quidem maxima per carnem in ejus nutritionem & conservationem distribuitur. Antequâm venas iterum ingrediatur, duo excrementa (quamvis quidam hâc specialia solius Nutritionis excrementa velint) separantur, aurium nimis, ferimen, colore & sapore bilem referens, quod fumi formâ insensibili quodam fermentationis modô in harum meatum per poros vel angustissimam internam extremitatem immittitur; alterum frigidiori aëris constitutione per nasum instar aquæ exstillare solet; cerebro vero refrigerato formâ spissiore (tunc mucus dicitur) per nasum aut os excernitur; Cerebrô benè constitutô aërisque constitutione calidiore totum hoc formâ vaporis per insensibilem transpirationem evanescit. Propè os & ejus interiorem partem duo ramuli disperguntur, quos emulgentes superiores possemus appellare, qui salivam in os per glandulas deponunt,

non

non aliter ac serum per renes. Pilorum materia sunt fuligines sanguinis per carotidem exteriorem in cutem capitis expulsa, ibique concretae ac unitae. Per truncum descendenter delapsus sanguis per arterias emulgentes pervenit ad renes, ibique serum separatur, quod per ureteres progreditur ad vesicam. Cœliae ramus dexter ad Epar amandat, divisus in ramulos diversos ramulis Cholidochis respondentes, per quos separat Fel, quod cordis calore adurente ex sanguine calidiore tenuiore generatur, cum sanguine arteriosō demum ad Epar defertur: ex ramo hujus & oritur gastrica, quæ succum acidum in ventriculum ponit. Sinister cœliae ramus splenicus ad lienem sanguinem defert, ibique elicit spiritum acidum, quem mittit per vas breve arteriosum in ventriculum ad cibi fusionem & appetitus stimulum; per venam splenicam ad Epar pro chylifictura & sanguinis fermentatione in corde. In pueris, ovibus, catellis Lien non est acidus, nec lividus, sed dulcis & albus, quia nondum tali infectus succo, ut postea talis evadit. Per arterias spermaticas ulterius propè testes defertur, & in corpore varicoso materiam semenis deponit in tubulos quosdam ad elaborationem, qui testibus & vasibus deferentibus connectuntur. Semine separato redit sanguis per venas rursus ad Epar, & ex ramo redeunte mittit venas quasdam junctas cum arteriis, ortis ex spermaticis ad uterū, quæ ibi sanguinem menstruum deponunt, qui non discrepat ab alio sanguine, nisi copiâ, calore, & tenuitate. Copia est à mulierum frigiditate & otio, & quia sanguis ille tamdiu movetur, moratur, & non assimilatur, fit tenuior & calidior. Purgatio hujus subtilium vel tenuium calidorum, cruditates attenuantium, præcipue verò fermentationem excitantium vi excitatur, dum scil. fermentatione vel ebullitione à limatur à chalybis liquoreq; accido sive assumto sive internâ naturali & in corpore genito excitata, paulatimque sanguini communicata tandem menstrua prodeunt. In artubus sanguis ferè solùm Nutritioni invigilat, nisi quod pituitosi quid juncturis relinquat ad motum. Nutriuntur autem singulæ partes hoc sanguine arteriosō, qui in eas per poros pellitur, ibique lentore suo adhæret, crassitie concre-

C scit;

scit; partes vero sibi utile attrahere videntur. Deficiente ma-  
teria sanguinis vel omni vel magis solubili & in sanguinem  
convertibili remanente inepta, cor primarium fermentationis  
instrumentum à motu suo consuetō & vivificō cessat, & cir-  
culationis metu inhibito vita curriculum abbreviatur.

THEOR. XII. Superpondium hoc esto. Si in illâ Fa-  
cultate, certè in Medicâ Magia, incantatio & superstitione à vul-  
go & summo, peritis & imperitis quodlibet obtinet, ut applau-  
sum eorum mereantur veneficæ, mulierculæ circumforaneæ,  
uromantæ, irrationales Medicastri, ignari Chimistæ, rudes  
barbitonsores, adeò, ut ne mussaret quisquam contrâ hos, sed  
vel tanquam naturales vel occultas, & anti-sympatheticas,  
novellas, chymicas agnoscant horum medicationes, non re-  
mittentes quemlibet ad eam stationem, rastrum scil. colum &  
boves, cui à DEO destinatus est. Evenit hîc Medicinæ nostræ,  
quod de suâ ætate habet *Johannes Tzetzes*, nempe quod in bo-  
narum literarum atq; artium neglectu & conseruatu, artificio-  
sâ pari atque barbarâ.

Majore sint adeò inque honore barbaræ

Et ineruditæ platus ut docti ferant,  
adeoque ab iis, doctissimos qui se putant.  
De talibus horrendis superstitionibus, ex foro alio in-  
bet advocare B. *Chemnitium*, in *Loci* sic nostram caussam  
agentem: Magicae, inquit, superstitiones usurpantur,  
vel ad cognitionem futurorum & occultorum, vel ad curatio-  
nes & alia auxilia, vel ad præstigias, & aliquando fit manifesta  
invocatio Dæmonum vel per concepta verba adhibitis ali-  
quando sacrificiis, jejuniis & aliis ceremoniis: vel per inscri-  
ptiones notarum, quas characteres vocant, sive imaginum.  
Aliquando non fit manifesta invocatio Diaboli, nec expre-  
sum pactum cum eō; sed usurpantur vel concepta quedam  
verba sive ignota, sive vana, sive impia aliquando nomen DEI,  
verba Scripturæ vel sola vel mixta cū aliis, vel characteres, vel  
ligaturaæ vel suspensiones quarundam rerum vel aliaæ vanæ ob-  
servationes, sine mentione pacti aut invocatione Diaboli.  
Et narrat *Augustinus* quosdam tales superstitiones noluisse,

appel-

appellari Magiam, sed tribuisse ei honestum nomen physices  
(*hodiè Magie naturalis, magnētice cūntionis*) ipse verò rectè  
dicit, omnes tales observationes, quæ non habent causam  
vel in Naturā, vel in institutione divinā, ex quādam pestiferā ho-  
minum & dæmoniorum societate q̄s. pāsta, infidelis & dolosæ  
amicitiae esse constitutas & exortas. Hoc est, cum primis in-  
venientoribus talium superstitionum fecit tale pactum Diabolus,  
se talia superstitiones observantibus affuturum suā operā. Fit  
igitur tacita invocatio & implicitum pactum cum Diabolo &  
gaudent Diaboli se ingerere hujusmodi vanis observationi-  
bus, ut mentes vanitate implicant & in alia horribilia præci-  
pitent. Adeo scilicet Christi, summi Medicī, in his terris ad-  
huc versantis, Diabolus simia videri vult & conatur, irritō  
quidem conatu, felicem ejus divinam praxin superbis illis  
Draco, si non æquare, æmulari, sibiq; divinitatem à principio  
affectatam asserere. Sunt ejus organa, qui extrā metas officii  
avaritiā & desperationē vagantur, primā quidem fronte na-  
turaliter curant, quantum supplex curta permittit, hāc viā  
si non tutō incedunt, hunc auxiliatorem vel advocant vel ad-  
mittunt qui & nihil, nisi naturalibus perficit, aut prognostica-  
tur; & sic ex conniventia Magistratū, qui ordinem nostrum  
non nisi indigus respicit, bonō & specioso charitatis titulo  
Diabolicus ordo propagatur & servatur.

Πάρεργα.

- I. *P*utamus illum, qui obscuritates & obsoleta in de-  
cendo amat, nec repudiat, non esse Doctorem,  
*Nec illum, qui arcana sua Facultatis proprio commodo re-  
servat & sibi possidet, Christianum.*
- II. *C*alorem vitalem, insitum alijs dici solitum, supra con-  
ditionem caloris elementaris, adeoq; celestis naturae es-  
se, citra ullam rationem Fernelius est commentus.
- III. *E*sse verè ipsum natura non alijs, quam Elementaris,  
exinde infallibiliter colligitur, quod 1. frigus Elementare  
habet oppositum, 2. calore Elementare foveatur, 3. mate-  
ria

riā Elementari nutritur, & 4. ortui ac interitui est ob-  
noxius: qua quidem nec ipse Fernelius negat.

IV. Ad finis ex parte huic sententia Ferneliane, ea est mo-  
dernorum quorundam, qua præter calorem, quò calent  
viventia, quig, elementaris ac igneæ ipsis naturæ est,  
Spiritum aliquem, diversâ ab Elementaribus condicio-  
ne, inesse omni viventi, eòq, tanquam primariò instru-  
mento operationes animæ exerceri, tradit. Sed & hac,  
si paulo accuratius astimeatur, non adèd firmis rationibus  
videbitur subfulta.

V. Potissimum quidem huic innititur, quod cùm anima no-  
biliores sint formis Elementorum, nobilis idcirco ac di-  
vinius poscant subjectum, cum nihil, quod Elementis  
divinius, habeat domicilium, itidem Elementis non no-  
bilis ac divinius. Sed hoc & absurdum est, & contra  
istos Auctores, Spiritumq, istum prorsus Elementaris  
esse naturæ, evincit.

VI. Similis ferè cum prioribus farina est dogma de humidò  
radicali, seu primigeniò vulgò propositum. At verò cùm  
istud nos neg, sensu doceant, neg, firmæ persuadant ra-  
tiones, nostrum non meretur adplausum.

VII. Respirationem ad expulsionem fuliginum conserre, que  
in nutritione calidi nostri nativi nascantur, receptum  
quidem vulgò placitum esse novimus, sed rationes,  
quibus innitatur, videmus nullas.

VIII. Nec patet, quomodo ab iis posit adfirmari, qui respi-  
rationem beneficò aquæ, non aeris, profitentur:

IX. Vasorum vasorum sub rectis Epigastrii muscularis  
ideò à natura facta minus rectè creditur, ut posit esse  
consensu uteri cum mammis.



**ULB Halle**  
005 132 606

3




KD 17



# Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches



B.I.G.

1649, 13  
**MATA MEDICA**  
Quæ  
**TIA FAVENTE**  
**TE GRATIOSI**  
**UM ORDINIS**  
**TRI UNIVERSIT-**  
**E JENENSI**  
S P U T A T I O N I P R O P O-  
N U T U R .  
RÆSIDE  
**VOLCKIO**  
H I L O S . M E D I C . D .  
S P O N D E N T E  
**R O P O S N E R O**  
E R A N O .  
c o q ; C o n s e t i s .  
S E P T E M B R I S .  
I S T I C I C I O C I L :  
E N Æ  
S T I A N U S L A U R E N T I U S  
Kempff /